



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Prosper Farinacius n. 17

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

15. AB STANISLAO RESCIO *Protonotario Apostolico in Apologia contra Poloni cuiusdam maledicentiam pag. 34.* Sed interrim, ait ille, ipsi eorum Magistri (scilicet novatorum) & ministri editis in vulgus libellis, & pictis propositis tabellis in oculis omnium gentium confitentur nutantē in Septentrione Romanam Ecclesiam Iesuitarum studio, labore, diligentia, ope omnium rerum sustineri. *Et pag. 49. addit: Tales se plane isti novi Præceptores Iesuitæ exhibent, quales esse volebat doctissimus Lyrinensis cum ait, ô Sacerdos, ô tractator, &c. Ibid. num. 88. Scriptor idem doctissimus in Vita Stanislai Hosij Cardinalis loquens de S. P. N. Ignatio, ait: Qui primus Pauli, & Iohannis Apostoli præcepta secutus, fideles Dei in Societatem filij eius Domini nostri Iesu Christi conuocauit; totque tam pios, tam doctos, tam vtilis, tam necessario tempore filios, & defensores Ecclesiæ Dei peperit. Ita apud P. Nigron. in comment. Reg. Soc. Tit. par. 1. num. 15.*

Eius filiorū studio, labore, ac diligentia Rom. Ecclesia in Septentrione nutans sustinetur.

Ij Ecclesiæ defensores, docti, vtilis, ac necessarij. 1. Cor. 1. 9

16. AB ANTONIO FABRO *Celebri Iurifconsulto Tom. 2. decisionum forentium lib. 9. tit. 15. definitione 2.* Quibus (loquitur de Iesuitis, nihil ætas nostra tulit eruditius, aut religiosius, nihil toti Christianæ Reipublicæ vtilius. *Hæc ille apud toties citatam pro scient. Med. Apol. par. 3. num. 54.*

Quibus nihil eruditius, religiosius, Christianæ Reip. vtilius.

17. A PROSPERO FARINACIO *Tract. de Hæresi Epistola Dedicatoria ad Cardinales Generales Inquisitores. J. R. E.* Et quidem (inquit) è Societate IESV splendida illa literarum Officina scientissimorum (et nominatis quibusdam Scriptoribus, quos euoluerat subdit egregius Doctor;) Vt si quid est, quod in hoc labore meo laudem, commendationemque nominis mereatur aliquam, id ex eorum fontibus, disertè vt par est, atque simpliciter hausisse me fatear, &c. *Hæc ille Ibid. numer. 54.*

Societas splendida literarum Officina.

18. A FIDELIO ANNOSO *Verimontano in Synopsi Apostolice Marcæ Antonij de Dominis: Grad. 4. fol. 34.* Nulla (inquit) alia re magis commendatur Ordo IESVITARVM quàm quod vix inter illos conspicias quemquam à pietate, aut

A pietate, & Religione deficientes non patitur.